

QVAESTIVNCVLAE TVLLIANAE

SCRIPSIT

CASIMIRVS FELIX KUMANIECKI VARSAVIENSIS

Laudes diligentiae in causis defendendis adhibendae, quae ab Antonio in dialogi q.i. *De oratore* libro secundo § 148—149 canuntur, sic in codicibus familiae M¹ traditae sunt : *Causa ut penitus, quod initio dixi, nota sit, diligentia est ; ut aduersarium attente audiamus atque ut eius non solum sententias sed etiam uerba omnia percipiamus, uoltus denique perspiciamus omnis, qui sensus animi plerumque indicant, diligentia est — id tamen dissimulanter facere, ne sibi ille aliquid proficere uideatur, prudentia est — deinde ut in eis locis quos proponam paulo post, reuoluatur |M : peruoluatur L|² animus, ut penitus insinuel in causam, ut sit cura et cogitatione intentus, diligentia est ; ut iis rebus adhibeat lamquam lumen aliquod memoriam, ut uocem ut uiris.* Subsequitur sententia haec : *Inter ingenium quidem et diligentiam perpaulum loci reliquum est arti.* Adde quod post uocabulum *Inter* librarius codicis H spatium uacuum 6 litterarum reliquit, librarius autem cod. E correctionis signum ☺, ut eius mos fuit in locis suspectis facere, posuit. Sententiam in uerba *ut uocem ut uiris* exeuntem claudicare eandemque iam antiquitus in archetypo corruptam fuisse docet interpolatio, quae in codice Laudensi nunc deperdito olim legebatur. Etenim in libris manu scriptis, qui ab illo deperdito codice originem ducunt³, codices VDOPR dico, post uocabula *ut uocem ut uiris* leguntur uerba *haec magna sunt*, proterue ante uocabulum *Inter* interpolata. Quae uerba textui Tulliano iam in antiquitate inserta, cum manifestae interpolationis speciem prae se ferrent, ab omnibus dialogi Ciceroniani editoribus spreta esse, non est cur miremur. Cum tamen sententia ita ut in *codd. M (= AHE)* tradita est, stare non posset, Ernesti suasit, ut post uerba *ut uocem ut uiris* uocabula *diligentia est* adderentur.

¹ i.e. in codicibus his (saec. IX/ X exaratis): Harleiano 2736 (H) Abrincensi 238 (A), Erlangensi 848 (E).

² Familiae codicum L. antistites hi sunt: Cod. Vat. 2901 (V) Cod. Cornell University B 2(D) Cod. Ottobonianus 2057 (O) Cod. Palatino-Vaticanus 1469 (P) Cod. Palatino-Vaticanus 1470 (R). Quos omnes codices, dum nouam dialogi q.i. *De oratore* editionem paro, contuli.

³ Cf. J. Stroux, *Handschriftliche Studien zu Cicero De oratore. Eine Rekonstruktion der Handschrift von Lodi*, Leipzig, 1921.

Quae Ernesti coniectura omnibus fere dialogi Tulliani editoribus adeo placuit, ut eam in textum receperint. Quo factum est ut in editionibus Schuetzii, Henrichseni, Ellendtii, Orelli — Baiteri, Friedrichi, Wilkinsii, Courbaudi ultimum sententiae colon sic typis excusum occurrat: *ut iis rebus adhibeat tamquam lumen aliquod memoriam, ut uocem ut uiris (diligentia est)*, Ellentius coniectura Ernesti in textum recepta nondum ab omni parte contentus uocabulis *diligentia est* crucem praefixit. Attamen cum persuasum habeam post uocabula *uocem et uiris* praedicatum desiderari, quo addito sententia plenius et exquisitius sonet, ita hunc passum corrigendum esse censeo: *ut <que¹> iis rebus adhibeat tamquam lumen aliquod memoriam, ut uocem, ut uiris <intendat>*. Superfluum uidetur addere facillime accidere potuisse, ut uocabulum *intendat*, quod hoc loco supplendum putamus, propter subsequens uocabulum, quod est *Inter* exciderit.

In eiusdem libri § 142 haec Antonii uerba legimus: *Video enim in Catonis et in Bruti libris nominatim fere referri quid alicui de iure uiro aut mulieri responderit; credo ut putaremus in hominibus, non in re consultationis aut dubitationis causam aliquam fuisse, ut quod homines innumerabiles essent, debilitati a iure cognoscendo uoluntatem discendi simul cum spe perdiscendi abiceremus*. In hoc passu uocabula *a iure cognoscendo* non immerito uiris doctis dubitationem mouerunt. Scimus enim optime *aliqua re non ab aliqua re* quemquam aut quidquam debilitari posse². Inde euenit, ut ex editoribus, quoad scimus, solus Friedrich intactam hanc sententiam relinqueret, ceteri uariis locum temptarent coniec-
 ruris. E quibus Schuetzius sane moderatus fuit, cum pro *a iure cognoscendo* scribendum esse *in iure cognoscendo* existimaret. Non eadem moderatione fuerunt Bake, qui *numero cognoscendo*, Sorof qui *tanto munere cognoscendo*, Stangl, qui *munere cognoscendo*, Harnecker, qui *etiam in re cognoscenda*, Pearce, qui *debilitati <metu> a iure cognoscendo*, Ellendt, qui *debilitati ad ius cognoscendum* coniecerunt. Qui omnes uiri docti studuerunt, ut istam constructionem *debilitati* a sanarent. Aliam prorsus uiam ingressus est Orelli, cum uocabula *a iure* secludenda esse censeret, ut sententia ita procederet: *debilitati cognoscendo uoluntatem discendi simul cum spe perdiscendi abiceremus*. Via ab Orellio praemunita Piderit pergens usque eo processit, ut non solum uerba *a iure* sed etiam uocem *cognoscendo* e textu Tulliano tollendam esse statueret. Equidem mirari non desino istud medicamentum sane acerbum a Pideritio concoctum recentissimis editoribus adeo arrisisse, ut et in Wilkinsii et in Courbaudi editionibus uerba supra allata uncinis saepta legantur. Attamen locus facile corrigi poterit, si una tantummodo uocula *a* seclusa textum ita constituerimus: *debilitati [a] iure cognoscendo uoluntatem simul cum spe perdiscendi abiceremus*.

¹ ut <que> scribendum esse proposuit iam Bake in editione Amstelodami 1863 publici iuris facta.

² E multis exemplis Ciceronianis pauca delibare placet: *Cat.*, 2, 10 debilitati stupris; *Cat.*, 2, 14 Catilina consiliis, laboribus, periculis meis circumclusus ac debilitatus; *Cat.*, 3, 10 Cethegus... recitatis litteris debilitatus atque abiectus; *Pro Mur.*, 45 eiusmodi de candidato rumore amici intimi debilitantur; *De domo*, 135 mentem debilitatam metu concidisse; *Pro Caelio*, 60 fortissimi uiri mentio et uocem meam fletu debilitauit et mentem dolore impediuit; *Pro Marc.*, 8 nulla est enim tanta uis, quae non ferro et uiribus debilitari frangique possit; *Phil.*, 12, 7 an uos... populi Romani libertatis recuperandae cupiditatem non imminutam ac debilitatam putatis legatione pacis audita?

In ea praefatione, quae libro secundo praefixa est in § 6 haec Cicero profert : *Quare equidem et in nostra ciuitate et in ipsa Graecia, quae semper haec summa duxit, multos et ingeniis et magna laude dicendi sine summa rerum omnium scientia fuisse fateor.* Quam sententiam uix sanam esse iam dudum uiderunt uiri docti. Atque Muellerus quidem pro *ingeniis* legendum esse *ingenii*, in locum autem infinitiui *fuisse* infinitiuum *floruisse* substituendum esse putabat. Ellendtii coniectura, qui *ingeniis magnos et laude dicendi* legendum esse proposuerat, nemini arrisit. Plurimi sunt, qui putent post *ingeniis* adiectiuum quoddam excidisse : Stangl <*eximiis*> Courbaud <*magnis*> supplendum esse censent. Friedrich lacunam maiorem post *ingeniis* statuit et fortasse <*et exercitationibus oratores extitisse*> adimplendum esse suspicatur. Equidem ut credam post *ingeniis* adiectiuum <*excellentis*> inserendum esse multis de causis adducor. Ac primum quidem afferendae sunt duae sententiae nostrae huic consimiles, quae De or., I,6 et 7 leguntur : *nam quocumque te animo et cogitatione conuerteris, permultos excellentis in quoque genere uidebis* et I,7 *Quis autem dubitet quin belli duces ex hac una ciuitate praestantissimos paene innumerabilis, in dicendo autem excellentis uix paucos proferre possimus.* Adde quod pro Quinct. 31 Hortensius *excellens ingenio*, pro Lig. 10 Tubero pater *homo cum ingenio tum etiam doctrina excellens* uocatur. Sed proxime ad nostram sententiam accedunt uerba, quae in oratione pro Archia habita sic scripta occurrunt (§ 15) *Ego multos homines excellenti animo ac uirtute fuisse et sine doctrina, naturae ipsius habitu prope diuino, per se ipsos et moderatos et graues extitisse fateor.*
